



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

34. de peccato actuali & eius caussa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

qui patrum iniquitates videntes, eorum impietatis hæredes per imitationem efficiuntur. Secundum hunc modum rectè intelligitur ad literam, quod in Exod. dicitur.

DE PECCATO ACTUALI,
& eius causa.

DISTINCT. Trigesimæ quartæ
CAP. Primum.

Ex bono ortum habuit malum.

CAusa & origo prima peccati res bona exitit: quia ante primum peccatum non erat aliquid mali vnde oriretur. Cum enim originem & causam habuit, aut ex bono, aut ex malo habuit. sed malum antè non erat, ex bono ergo ortum est. Prius enim in Angelo ortum est peccatū, & postea in homine. Et quid erat Angelus, nisi bona Dei natura? Non ex Deo ortum est malum quod fuit in Angelo, non ex alio quàm ex Angelo, ex bono ergo ortum est. Vnde August. in responsio. cont. Iulia. hæret. qui dixerat, Si ex natura peccatum est, tunc mala est natura: ait, Quæso vt, si potest, respondeat. Manifestum est ex voluntate mala, tanquam ex arbore mala, fieri omnia opera mala, tanquam fructus malos. Sed ipsam malam voluntatem vnde dicit exortam, nisi ex bono? Si enim ex Angelo, quid est Ange-

*l. 110. a. l. 23.
24.*

l. 89. b. l. 89.

*Maly 7
l. 7.*

lus, nisi opus Dei bonum? Si ex homine,
 quid erat ipse homo, nisi bonum Dei opus?
 Imò quid erant hæc duo antequàm orire-
 tur in eis mala voluntas, nisi bonum Dei
 opus? & bona laudandaque natura? Ergo ex
 bono oritur malum: nec fuit vnde oriri pos-
 set, nisi ex bono. Dico ergo, quia volunta-
 tem malam nullum malum præcessit, sed ex
 bono originem habuit. Hic aperte dicitur
 primam causam & originem mali bonam fuisse na-
 turam. Et nihilominus ostenditur cuius pec-
 cati fuerit causa, scil. malæ voluntatis.

C A P. Secundum. Mala voluntas est
 secundaria causa malorum.

1 A Vgust. in Enchirid. Nequaquam dubi-
 tare debemus, rerum bonarum quæ ad
 nos pertinent, causam non esse nisi bo-
 nitatem Dei: Malorum verò ab immutabili
 2 bono deficientem boni mutabilis volunta-
 tem ipsius Angeli, postea hominis. Hoc pri-
 mum est creaturæ rationalis malum, id est
 prima priuatio boni. Ecce habes primam
 voluntatem boni mutabilis, id est Angeli &
 hominis deficientem ab immutabili bono,
 id est à Deo, causam esse malorum rerum
 ad nos pertinentium: quia causa est tam pec-
 catorum, quam pœnarum quibus premitur
 humana natura. Prima ergo origo & causa

peccati bonum fuit: & secunda, malum quod
 ortum est ex bono. Et sic qui rectè acutè
 que sapit, in bono malum esse intelligit, id
 est in natura bona. Malum enim est corrup-
 ptio vel priuatio boni. Peccatum ergo non
 potest esse, nisi in re bona, vt ait August. in
 Enchirid. Ex quo colligitur nil aliud signifi-
 ficari dum dicitur homo malus, nisi bonum
 malum. Ideoque in his contrariis, quæ bo-
 na & mala vocantur, illa Dialecticorum re-
 gula deficit, qua dicunt nulli rei duo simul
 inesse contraria: nullus enim cibus aut po-
 tus simul dulcis & amarus. Ex bonis ita-
 que mala orta sunt, & nisi in bonis non
 sunt. nec fuit prorsus vnde oriretur vlla
 mali natura, nisi ex Angeli & hominis na-
 tura bona, vnde primitus orta est mala vo-
 luntas. Quod si opponas, Si bonum dici-
 mus esse malum, incidimus in illam senten-
 tiam Prophetica[m] Esa. 5. Væ his qui dicunt
 bonum malum, & malum bonum. Ad hoc
 August. in eodem libr. respondet, dicens: Id
 quod dictum est in Prophetia, intelligen-
 dum est de ipsis rebus quibus homines ma-
 li sunt, non de hominibus. Vnde qui adul-
 teriū dicit bonum, vel qui dicit hominem,
 quatenus homo est, malum esse, in eum cadit
 illa Prophetica detestatio.

malus

Maxima
 Distinctione

Obiectio

27.